

NOBILISSIMO, ET ILLVSTRISSIMO VIRO DOM. D.

FRANCISCO THEODORO DE NESMOND,

EQVITI REGIS, A SECRETIORIBVS CONSILIIS, INFVLATO SVPREMI FRANCIÆ SENATVS PRÆSIDI INTEGERRIMO, &c.

FLORIMONDVS LANGLOIS.

*LEX Antiquiſsima, æternæque auctoritatis in Attica venerandos eſſe Deos atque Heroas patrios frugum primitiis, libis annuis, pro facultatũ modulo. Eadem me in hac velitatione vt vmbratili pugna decertaturũ Deum
aliquem in hoc Galliæ cœlo & Themidis ſacrario colere, Heroem & de republica bene meritum virum luci rationum mearum medicarum primitiis venerari ſuadet. Quare inter tot iuris lumina & Gallici Imperij At-
lantes te (*Vir Illuſtriſſime*) hac* προσφωνήσει *compellare eò lubentiùs fuit animus, quò altiori mente mecu reputo ingentes illas, quas in te quaſi hæreditario iure collatas miramur virtutes: verùm tenuitatis meæ mihi
probè conſcius, & operæ leuidenſis, vix auderem theſim hanc illuſtris nominis tui patrocinio tectam in lucem nittere, niſi ſingularis tua erga me humanitas & beneuolentia mihi nutanti calcar adderet, ratus hoc mei erga
te obſequij monumentum gratum fore, quòd acceptiores vt plurimùm Dijs, qui lacte ſupplicant aut mola ſalsâ litan ùàm ij qui hecatomben mactant thuraque adolent, modo id fiat* σὺν εὐφημίᾳ, *quâ Deum Optimum Maximum
deprecor vt qui ſanctiſsimum tuum parentem, qui maiores tuos, viros ſupra omnem laudem, iam virtutibus æqua , cumulatis honoribus longè ſuperes.*

VALE.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS V. FEBRVARII,

M. NICOLAO CAPPON, Doctore Medico, moderatore.

An Sola Menstrualis Mulier fœcunda? 836

HOMO τὸ ποίημα τοῦ χειρώνακτος ἀγαθοῦ varias partes diuersis actionibus obeundis à natura obtinuit, τῶν χημάτων καὶ δυνάμεων facultate distinctas; Sed vt in bene constitutâ republicâ ciues esse decet, alios imperio, alios obsequio mutuùm deuinctos; ita corporis humani rempublicam, partes, Nobiliores aliæ atque principes, ignobiliores alias seu mancipia regunt atque moderantur, verùm tam fœlici cunctarum συζυγίᾳ stabilique commercio, vt illas mors sola disterminet; atque sicut bonum eò præstantius est quò communius; ita cæteris partibus testes atque vterum antecellere iure quis existimet: Illæ solam indiuidui, hæ speciei conseruationem meditantur: Nullum verò esse potest maius aut melius quàm vteri in propagandâ sobole studium; ille nobilitate atque dignitate cum cæteris certans σπλάγχνων ἀγχιστά τι ζῶόν, καὶ ὁκοῖον ζῶον ἐν ζώῳ, καὶ μάλιστα τὸ θεῖον ἐν τοῖσι ἀνθρώποισι φύσιες τῶν γυναικῶν; sed vnde vita, hinc sæpe mors, sic vterus sæpe in viro viduatis atque virginibus non impunè fœdam fouet excrementitiorum humorum illuuiem, nisi amico maris consortio expurgatus, & allecto semine εὐτεροσφύτῳ satiatus abundè recreetur.

HINC natura sui amans plurimúmque sollicita, quem inseuit cuilibet amorem æternitatis, cum κατὰ μέρος, & in singularibus non consequatur, illum propagatione prolis & continuatâ serie affectat, In perfectis quidem animantibus per γένεσιν completur ἔργον φυσικώτατον, marium atque fœminarum complexu, ne exceptâ quidem molâ cæteris denegatâ animantibus: huncad vsum vtrímque comparatæ partes sunt, vt temperie sic & structurâ plurimùm diuersæ, vnde mira sexuum varietas, quos inter se mutuùm & velut naturæ ludibrio commutari, nisi ad instar Phaetusæ Hippocraticæ caue crediderìs: structuram partium comitatur mirabilis procreandi libido, sed miros addit igniculos, si adspiret operi in amoris parilitatem forma venusta atque perelegans: his accedit seminis natura, quæ perfusa blando caloris & spiritus tepore, in vterum velut agrum irriguum coniecta, ipsum rore velut fœcundo beans, de rudi materia fœtum intus exsuscitat; sed vide vt rem agas testibus præsentibus, quamquam enim Venus sæpe in furtis est, odit tamen mystam, qui sine his litat: sunt enim illi asseruatores seminis, vtilis excrementi, nec à toto decidui, virilitatis veri custodes, in quibus est non ὑγρότης ὀρρώδης ceu in prostatis, atque parastatis, sed irriguus & fœcundus liquor; hinc in viris maior ad venerem voluptas, in mulieribus languidior, in eunuchis quæ mulieres delectet non fœcundet.

SIC laborum & ærumnarum molestias, sic animantium feritatem natura sensus voluptate deliniuit, cicurauit. Hinc Amor omnibus idem, sed in brutis animantibus non coercitus rationis imperio, in homine securior, mulieres eò lubentiùs amant quò illubentius fatentur, in virginibus maiorem Amor vim patitur, quò dulcius id omne putant quod nesciunt: in mutuis amplexibus ad conceptus gratiam decet vtriusque seminis facultates & proiectionis momenta ὁμορροθεῖν, nam quæ mulier ardentiùs amat, si semen idoneo momento non effundit, nec illa concipit: vtriusque seminis dispar est facultas, masculum fœcundius, fœmineum ὡμόνχοι ὑδαρές: his accedit alterum generationis principium, nec inefficax sanguis menstruus, cuius affluxu concepti fœtus partes, atque hinc inde ducta spermaticarum partium stamina complentur, & viscerum parenchymata conformantur, simul & semel, mox suo quæque ordine perficienda: Perfectus demum partus prodit, ante septimum mensem immaturus, octauo moribundus, septimo & nono vitalis, definitam partus metam si quæras, ludis in ambiguo.

NIMIRVM cæteris animantibus statum & certum pariendi tempus est, homini incertum, cum illi, vel animalium superbissimo, plerúmque abortus causa fiat odora lucernarum extinctu. Ergastulis vteri contentum nutrit menstruus sanguis, non ille quidem monstrificus quo sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & arborum fructus, sed qui benignior est atque dulcissimus, fœtus enim ἕλκει ἀπὸ τοῦ αἵματος εἰς ἑωυτὸ τὸ γλυκύτατον. Ille sistatis periodis vterum irroret affulget spes ampla futuræ prolis, nec tamen illo haud fluente de fœcunditate desperes; illius desinente potiùs fluxu periodico vel inchoante, quàm liberaliùs prorumpente ineunda Venus est, si conceptio quam consequitur voluptas speranda sit: quin Diua illa quæ se non cuiuis præbet propitiam, pygiaca sacra celebranti has esse iubet leges impositas; vt delubra sua ingrediatur nemo, nisi ætate florens, corpore vegeto, illucescente aurorâ, animo non nubilo sed lætiore, vernis temporibus frequentiùs, cæteris rariùs, vt corporis neque languor neque dolor sequatur: Tantæ molis fuit Vniuersi dominum & imperatorem condere.

HAS autem qui dotes possidet, solus fœcundus est, & ad mulieris amorem facundus, sicut sola menstrualis mulier fœcunda, instar arborum, quæ præuiis tantùm floribus vberiores fructus rependunt, mirâ naturæ prouidentiâ quæ dum corporis ὑλομελίην sanguine satiauit, superfluum quasi ναυσιώσει quadam ad vteri locos deriuat & reponit. Atque ita ferebat natura muliebris mollior & frigidior, vita otiosa, & corpus minus εὐδιαφόρητον, à quibus illa est residui sanguinis copia, quę certis demùm statisque periodis erumpit, κατὰ φύσιν quidem in maturis virginibus, nuptis, atque viro viduatis, in nutricibus minùs opportunè, in grauidis fœtus dispendio, quæ & cæteris brutis animantibus longè humaniores sæpe suâ onustâ naue vectorem admittunt: Atque vnicam illam sanguinis naturalem excretionem sola mulier, solúmque animal menstruale experitur, quâ quidem si priuari contigerit, vel immaturæ ætatis puellas, aut vetulas annis labentibus, vel viragines ex laboriosa vitâ, vel à diuturniore morbo tabidas & exhaustas, aut vteri fœcundâ temperie destitutas, frustrà Numen implores, arenæ semina mandas, nec vnquam tibi spe prolis dulce ridens Venus arridebit.

Ergo Sola Menstrualis Mulier fœcunda.

Proponebat Lutetiæ FLORIMONDVS LANGLOIS, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Anthonius Suart.	*M. Iacobus Cornuty.*	*M. Simon le Tellier M. R.*
M. Guillelmus du Pré.	*M. Carolus Guillemeau Med. Reg. Ord.*	*M. Simon Bazin.*
M. Philibertus Morisset.	*M. Iacobus Iouuin*	*M. Nicolaus Pietre.*